

Bibliothèque numérique

medic@

"Lanigan, Georges - candidat / Baget,
Henri-Jean - président / Cochon
Dupuy, Gaspard ; Jacques,
Gabriel-Antoine - auteur". - An Aër
calidus siccus, salubrior ?

1787.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Parisiensis
Typographi
Cote : ms 2337a n°147***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0147](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0147)



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis octavâ mensis Martii,
anno Domini M. DCC. LXXXVII.

M. HENRICO-JOANNE BAGET, Rei Herbariæ Professore designato,
M. Achillis-Guillelmi LE BEGUE DE PRESLE, Equitis, Censoris Regii,
Doctoris Medici, vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An Aër calidus siccus, salubrior?

I.

MEDICINA curatrix, nulli obsequens, omnibus imperans,
ratione & observationibus suffulta, stabilis, inconcussa que probatur
existere. Certas leges suas habet & regulas, quibus totus

* Propugnata, anno 1733, à Gaspard COCHON DU PUY; M. Gabriel-Antoine
JAQUES, Præside.

subjicitur orbis. Scientia hæc præstantissima circa sanitatem occupata, dum præsentem servat, *ὑγίης* nomine insignitur, vel cum amissam restituit, *εὐπαινετική* vocatur. *ὑγίης* summa laus esto. Medicaminum necessitas & usus propter erratum in vitæ ratione. Ter felix ille qui sanus est & benè valet; forte suâ utatur, nec abutatur. A statu sano qui recedat, in eodem, aut non, vel agrè nec absque fastidio restituitur.

I I.

SANITAS in functionum integritate posita est. Dùm adest, actiones homini propriæ facili, jucundè & cum quâdam constantiâ fiunt. Omne quod sanitatem conservat præsentem, id tibi salubre vocandum. Res non naturales proprium prophylaxeos objectum. Istud nomen audiunt, eò quòd humani corporis compositionem non ingrediantur. Sex vulgò numerantur; Aër, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, animi pathemata. Hæc omnia salubria vel insalubria fiunt. Cautio igitur in eorum usu adhibenda; delectus etiam habendus. Has inter Aëris ratio magni momenti. Ab illo indefinenter & necessariò corpus afficitur. Qui calidus & siccus est Aër præ cæteris salubrior. Dotibus ad sanitatem fervendam morbosve arcendos is magis præditus est, minoresque noxas infert; talis igitur eligatur vel arte procureretur.

I I I.

LIQUIDI moles illa corpus nostrum immediatè ambiens, quam inspiratu ducimus, Aëris nomine intelligenda venit. Nul- lum in hac sensili rerum naturâ fluidum virtutis efficaciam præstantius quàm Aër. Pondere is & elaterio maximè pollèt. Sanitatis & morborum opportunus author Aër si plus aut minus vapore gravior, & morbidis sordibus inquinatior sese in corpus inferat. Nos extra premit: undique circumfusus, ac diversimodè pro sui conditione laxat, remollit, densat, constringit. Non modò demersus ille unà fertur in flumen sanguineum, sed ipsum etiam indefinenter permeat inspiratus & cum eo quoquoersum in penitiorem partium compagem delabitur. In Aëre calido sicco, purpureo vires qui capit ab ortu, felicis perspiratio laudabilis, bona respiratio peragitur. Talis Aër nullo vapore gravior quàm par est suo liberè gaudet elaterio, nec inqui-

natus sanguini labem inurit. Pulmonis inde facilius explicatio, in
ejus vasis contenti laticis tritus fortior, divisio major. A pulmone
in sinistrum cordis ventriculum, & à corde per aortam in omnes
corporis partes sanguinis ejusdem validior impulsus, expeditior cir-
cuitus à quo secretiones pendent omnes.

I V.

SICUT maxima in Aëris delectu tutela sanitatis, ita morborum
opportunitas. « Aër non modò externè premens undique, sed per
arterias in profundum corporis penetrans, potest reddere corpus
levius aut gravius: levius, si tenuis & calidus juvando perspira-
tionem; gravius, si crassus & humidus eandem prohibeat. » Si
queras ergò undè ex anni tempestatibus siccitates assiduis imbribus
sint salubriores, ratio est quia ubi corpora leviora functiones ejus-
cum alacritate fiunt. « Aër frigidus corpora debilia refrigerat, eaque
vincendo, ponderosiora efficit. Humores cogit, densat meatus,
stringit; undè obstructio, exsiccatio, &c. sequuntur. » Si idem
nimium sit humidus, laxat, solvit, debilitat fibras; serum auget &
indè tussis, peripneumoniæ serosa, &c. Æstate senes maximè valent,
hyeme frequens catharrus senile guttur opprimit. « Austri cum suis col-
lateribus, inquit Hippocrates, calidi sunt & humidi, nubium &
pluviarum parentes. Idem, austrinæ tempestates corpora planè re-
solvunt & humidiora reddunt, tum etiam auditus graves, & ca-
pitis gravitates inducunt, totique corpori in-movendo difficultatem
afferunt. »

*Sanctor.
Static.
Sect. 2^a.*

Id. Aph. 1^a.

*Lib. 3.
Aph. 3^a.*

Aph. 17.

V.

A peculiari structurâ solidæ corporis partes habent ut influxu
fluidi dimoveantur è perpendiculo, ut resiliant, ab Aëre;
dum is non sincerus quidem, sed tenuibus quas è sanguinis penu sibi
comites habet, particulis intricatus intrâ fibrarum compagem, & in-
timos subit recessus, ibique coercetur ad motum, si comprimatur,
paratissimus. Sic eodem Aëre perfusus sanguis comprimi docilis &
rarefcere, jugiter in motus agitur intestinos. Aëris & particularum san-
guinis æquabili, in se mutuè potentiâ, nisuque stat hominis vita,

4
sanitas. Ex dictis supra patet Aëris frigidi vel humidī noxæ & in-
commoda: è contrario, calidi sicci dotes eximie, undè conclu-
ditur;

Ergo Aër calidus siccus, salubrior.

Proponebat Parisiis GEORGIUS LANIGAN, Hybernus, Doctor Nanceianus
rector Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1787. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Typographi.